



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

§. 4. Quomodo persuadenda contritio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

dum ad eum accedit, inquirat. 8. Primo accessu humaniter eum salutat, dolore ac compassionem demonstrans. 9. Loquentem patienter audiat. 10. Caveat ne tædio eum quovis modo afficiat. 11. In omnibus ita benignum, & charitativum se ostendat, ut infirmus sacerdotem amore prosequatur, libenter audiat, ultro eum ad se vocet, vel admittat facillime.

§. 2.

Infirmus primo omnium in spiritualibus juvandus.

PRIMA cura sacerdotis sit, inquirere num infirmus credat ea quæ necessitate tam mediæ, ut Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem esse, Christum item & SS^{am} Trinitatem; quam præcepti, ut symbolum, orationem Dominicam, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, Sacramenta maxime necessaria, credi debent. Tum ad confessionem, communionem, satisfactionem, demum etiam ad extremam unctionem inducere laboret. De his autem non ex abrupto statim dicere incipiat, sed captâ occasione ex iis, quæ ipsemet infirmus dixerit aut responderit.

§. 3.

Qualiter confessio persuadeatur.

CONFESSIOnem, si opus fuerit, etiam generaliter persuadebit ex sequentibus. 1. Quia est remedium animæ. 2. Quia ad salutem necessaria. 3. Quia ad solam peccatorum remissionem instituta. 4. Quia sine poenitentia peccatorum venia impossibilis. 5. Quia ira Dei in peccatores terribilis & certa. 6. Vindicta ac damnatio indubitata. 7. Quia Deus impoenitentibus justus, poenitentibus misericors. 8. Quia jam merendi tempus. 9. Quia status infirmi & cujusvis peccatoris periculosus. 10. Quia jam sensus infirmi vigent, qui paulo post hebetari queunt, aut obscurari. 11. Quia infirmitas sæpe poena peccati, quo ablato poena cessat, sanitas redit. 12. Quia ex confessione sequitur mirabilis conscientia quies, securitas & consolatio. 13. Quia confessio decet Christianum hominem, sine qua nec Christianus est, nec Christianorum sepultura aut suffragiis dignus. 14. Imò confessio existentibus in periculo mortis necessaria est, sub poena peccati mortalis, damnationis & maledictionis æternæ.

§. 4.

Quomodo persuadenda contritio.

CONTRITIONem infirmo persuadere potest ex illis: 1. Quia per peccatum Deum offendit, de cujus majestate Cæli, Angeli,

Dæmones, & universus orbis contremiscunt. 2. Deum offendit, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. 3. Deum offendit, qui est summè bonus & misericors, à quo tot tantaque beneficia accepit; quippe quod creatus est, quod ejus sanguine redemptus; quod catholicus, non hæreticus, quod post tot peccata non statim occisus, mortuus, damnatus; quod tot corporis & animæ comoda habuit, incommoda evasit; Hæc gratum animum requirebant, at peccato ingrattissimus extitit, malum pro bono reddidit; nec tamen Deus benefacere cessavit, neque adhuc cessat, sed diem & horam ei prorogat, quo peccata sua deslere possit. 4. Quia justitiæ divinæ Zelus tantus est, ut ne minimum peccatum, ne verbum ociosum impunitum sinat; huc spectat exemplum Luciferi, Sodomæ, Gomorræ, Diluyii, Datan, Abiron, Ananiæ & Saphyræ, &c. 5. Quia tanta est abominatio peccati, ut propter illud puniatur, qui alioquin dilectissimus esset Deo, tormentis inferni sempiternis. 6. Quia contritio est necessaria pars poenitentia.

§. 5.

Ex quibus satisfactio ac restitutio persuaderi possit.

SATISFACTIO, quæ Deo debetur, fit contritione, confessione sacramentali, oratione, jejuniis, elemosyna. Quæ proximo fieri debet, versatur circa remissionem offensæ, vel restitutionem alieni. Remissio offensæ persuaderi potest ex infra dicendis; Restitutio ex istis: 1. Quod alioquin peccatum non dimittitur. 2. Quod bona iniqua sæpe alia absorbeant. 3. Quod nihil secum auferet quam animam, virtutes & peccata. 4. Quod etiam de obolo injuste possessis sæpe non gaudeat tertius hæres. 6. Quod male parta, male dilabuntur. 7. Quod, propter injusta bona parentum, Deus sæpe maledicit toti generationi spiritualiter & temporaliter. 8. Quod propter filios aut respectum hominum, nemo debet damnare animam suam in æternum, quia filius, aut quisquam alius non teneret forte unum digitum in ignis ardore per mediam horulam, nedum æternaliter animam simul & corpus. 9. Quod filii & hæreses sæpe sunt ingrati, nec memores beneficiorum illius, à quo tot divitias acceperunt; Ergo ipsemet animæ suæ benefaciat, nec aliis committat, quorum incerta est executio, sed quod tunc factum velit, jam fieri curet, ac faciat.